


Parallelismus linearum est, cum duæ pluresve Lineæ Rectæ ita decurrunt in uno eodemq; Plano juxta se mutuò, ut æqualiter ubiq; distent, & quamvis in utramlibet partem producantur, nunquam conveniant, etiamsi ea productio continuetur in spatium planè infinitum.

Ipsæ verò lineæ Rectæ ita decurrentes vocantur Parallele vel mutuò omnibus suis partibus Æquidistantes.

Tales sunt lineæ quatuor appositæ AB, CD, EF, & GH, quæ ita ponè se mutuò decurrunt, ut nullibi altera alteri annuat, & si maximè vel versus partes A, C, E, G vel versus B, D, F, H producantur ulterius, impossibile est, ut aliquando concurrant: æquabilis enim illa singularum partium unius à singulis partibus alterius distantia, etiam in ulteriori productione linearum ad partes adnascentes transfertur.



Harum Linearum teneatur & ducendi ratio & proprietates quædam.

Linearum parallelarum ductus docebunt Problemata duo sequentia.

PROBL. I. Quomodo data lineæ Rectæ Parallela duci debeat quomodocumq; absq; puncti certi determinatione.

Sit lineæ datæ AB ducenda Parallela aliqua distantia quacunq;: nullum enim datur punctum, per quod Parallela transire de-